

Catechismus minor.

Q u a e s t i o.

Quis hominis finis est praecipuus?

R. Praecipuus hominis finis est, Deum glorificare¹⁾, eodemque frui in aeternum²⁾.

Q. Quam nobis regulam dedit Deus, qua nos ad eius glorificationem ac fruitionem dirigamur?

R. Verbum Dei (quod Scripturis Veteris ac Novi instrumenti comprehenditur³⁾) est unica regula, qua nos ad eius glorificationem ac fruitionem dirigamur⁴⁾.

Q. Quid est quod Scripturae praecipue docent?

R. Duo imprimis sunt quae Scripturae docent, quid homini de Deo sit credendum, quidque officii exigat ab homine Deus⁵⁾.

Q. Quid est Deus?

R. Deus est Spiritus⁶⁾ essentia⁷⁾, sapientia⁸⁾, potentia⁹⁾, sanctitate¹⁰⁾, iustitia, bonitate ac veritate¹¹⁾ infinitus¹²⁾, aeternus¹³⁾, ac immutabilis¹⁴⁾.

Q. Suntne plures uno Deo?

R. Unus est unicuique, vivens ille verusque Deus¹⁵⁾.

Q. Quot sunt personae in Deitate?

R. In Deitate personae tres sunt, Pater, Filius, ac Spiritus Sanctus; suntque hae tres personae Deus unus, substantia eadem, potentia ac gloria coaequales¹⁶⁾.

Q. Quid sunt decreta Dei?

R. Decreta Dei sunt aeternum eius propositum secundum voluntatis suae consilium, quo quicquid unquam evenit, propter suam ipsius gloriam praeordinavit¹⁷⁾.

Q. Quomodo decreta sua exequitur Deus?

R. Deus exequitur decreta sua creationis operibus ac providentiae.

Q. Quid est opus creationis?

R. Opus creationis est quo Deus per verbum potentiae suae

1) 1 Cor. 10, 31. Rom. 11, 36. 2) Psal. 73, 24. ad haec.
3) 2 Tim. 3, 16. Eph. 2, 20. 4) 1 Ioh. 1, 3. 4. 5) 2 Tim. 1, 13.
et 3, 16. 6) Ioh. 4, 24. 7) Exod. 3, 14. 8) Psal. 147, 5. 9) Apoc.
4, 8. 10) Apoc. 15, 4. 11) Exod. 34, 6. 7. 12) Iob. 11, 7. 8. 9.
13) Psal. 90, 2. 14) Iac. 1, 17. 15) Dent. 6, 4. Ier. 10, 10.
16) 1 Ioh. 5, 7. Mat. 28, 19. 17) Eph. 1, 4. 11. Rom. 9, 22. 23.

omnia sex dierum spacio ex nihilo condidit, atque omnia quidem valde bona ¹⁾).

Q. Qualem creavit Deus hominem?

R. Deus hominem creavit marem ac foeminam, iuxta suam ipsius imaginem, in cognitione, iustitia ac sanctitate, dominium habentem in creaturas ²⁾).

Q. Quae sunt opera Divinae providentiae?

R. Providentiae Divinae opera sunt sanctissima Dei ³⁾, sapientissima ⁴⁾ potentissimaeque creaturarum suarum omnium, earumque actionum ⁵⁾ conservatio ⁶⁾ et gubernatio.

Q. Quem peculiarem providentiae suae actum exercebat Deus circa hominem in statu creationis suae existentem?

R. Postquam Deus hominem condidisset, inibat cum illo foedus vitae, sub conditione perfectae obedientiae; esu de arbore scientiae boni malique sub poena mortis eidem interdicens ⁷⁾).

Q. An vero Primi nostri Parentes in quo creati fuerant statu persistere?

R. Primi Parentes voluntatis suae libertati permisi peccando in Deum statu in quo creati fuerant exciderunt ⁸⁾).

Q. Quid est peccatum?

R. Peccatum est defectus quilibet conformitatis eum lege Divina, seu quaevis eiusdem transgressio ⁹⁾).

Q. Quodnam erat peccatum istud quo primi parentes statu in quo creati fuerant exciderunt?

R. Peccatum istud quo primi parentes statu in quo creati fuerant exciderunt, erat comestio fructus interdicti ¹⁰⁾).

Q. Totumne genus humanum cecidit in prima Adami transgressione?

R. Quandoquidem foedus cum Adamo ictum fuerat non solum sed et posterorum suorum nomine; exinde factum est ut totum genus humanum ab illo generatione ordinaria procreatum, in eo peccaverit, cumque eo ceciderit, in prima eius transgressione ¹¹⁾).

Q. In quem vero statum praecipitavit lapsus iste humanum genus?

R. Lapsus iste humanum genus in statum peccati ac miseriae praecipitavit ¹²⁾).

Q. In quo consistit status illius in quem lapsus est homo peccaminositas?

1) Gen. 1. cap. Heb. 11, 3. 2) Gen. 1, 26. 27. 28. Col. 3, 10. Eph. 4, 24. 3) Psal. 145, 17. 4) Psal. 104, 24. Isa. 28, 29. 5) Psal. 103, 19. Mat. 10, 29. 30. 31. 6) Heb. 1, 3. 7) Gal. 3, 12. Gen. 2, 17. 8) Gen. 3, 6. 7. 8. 13. Eccles. 7, 29. 9) 1 Ioh. 3, 4. 10) Gen. 3, 6. 12. 11) Gen. 2, 16. 17. Rom. 5, 12. 1 Cor. 15, 21. 22. 12) Rom. 5, 12.

R. Status in quem lapsus est homo peccaminositas consistit in reatu primi illius peccati quod Adamis admisit, in defecta originalis iustitiae, totiusque naturae corruptione, quod *Peccatum originale* vulgo dicitur; una cum omnibus peccatis actualibus exinde profluentibus ¹⁾).

Q. *Quae miseria est illius status in quem homo lapsus est?*

R. Universum genus humanum lapsu suo communionem cum Deo perdidit ²⁾, sub ira eius et maledictione est constitutum ³⁾, adeoque cunctis huius vitae miseriis, ipsi morti, infernique cruciatibus in aeternam est obnoxium ⁴⁾).

Q. *An vero Deus humanum genus universum in statu peccati ac miseriae periturum dereliquit?*

R. Deus cum ex mero suo beneplacito nonnullos ad vitam aeternam ab omni retro aeternitate elegisset ⁵⁾, foedus gratiae cum eis iniiit; se nempe liberaturum eos e statu peccati ac miseriae, atque in statum salutis per redemptorem translaturum ⁶⁾).

Q. *Quis est Redemptor electorum Dei?*

R. Dominus Iesus Christus est electorum Dei Redemptor unicus ⁷⁾, qui aeternus Dei filius cum esset, factus est homo ⁸⁾, adeoque fuit, est, eritque *Θεάνθρωπος*, e naturis duabus distinctis personae unica in sempiternum ⁹⁾).

Q. *Qui autem Christus, Filius Dei cum esset, factus est homo?*

R. Christus filius Dei factus est homo, dum corpus verum ¹⁰⁾, animamque rationalem ¹¹⁾ assumeret. sibi vi Spiritus Sancti in utero equo substantia Virginis Mariae conceptus, et ex eadem natus ¹²⁾, immunis tamen a peccato ¹³⁾).

Q. *Quae munera Christus ut Redemptor noster obit?*

R. Christus quatenus Redemptor noster obit munera Prophetiae, Sacerdotis ac Regis, cum in humiliationis tum in exaltationis suae statu ¹⁴⁾).

Q. *Quomodo Prophetiae munere defungitur Christus?*

R. Christus defungitur Prophetiae munere, voluntatem Dei in salutem nostram nobis per verbum suum spiritumque revelando ¹⁵⁾).

Q. *Qua ratione exequitur Christus munus sacerdotale?*

R. Christus exequitur Sacerdotale munus, semetipsum

1) Rom. 5, 12. 19. Rom. 5, 10. ad 20. Eph. 2, 1, 2. 3. Iac. 1, 14. 15. Matt. 15, 19. 2) Gen. 3, 8. 10. 24. 3) Ioh. 2, 2. 3. Gal. 3, 10. 4) Lam. 3, 39. Rom. 6, 23. Mat. 25, 41. 46. 5) Eph. 1, 4. 6) Rom. 3, 20. 21. 22. Gal. 3, 21. 22. 7) 1 Tim. 2, 5. 6. 8) Iob. 1, 14. Gal. 4, 4. 9) Rom. 9, 5. Luc. 1, 35. Col. 2, 9. Heb. 7, 24. 25. 10) Heb. 2, 14. 16. Heb. 10, 5. 11) Mat. 26, 38. 12) Luc. 1, 27. 31. 35. 42. Gal. 4, 4. 13) Heb. 4, 15. Heb. 7, 26. 14) Act. 3, 21. 22. Heb. 12, 25. cum 2 Cor. 13, 3. Heb. 5, 5. 6. 7. et 7, 25. Psal. 2, 6. Isa. 9, 6. 7. Mat. 21, 5. Psal. 2, 8. 9. 10. 11. 15) Ioh. 1, 18. 1 Pet. 1, 10. 11. 12. Ioh. 15, 15. et 20, 31.

semel in sacrificium offerendo, quo iustitiae divinae satisfaceret¹⁾, nosque Deo conciliaret²⁾; prout etiam perpetuo pro nobis intercedendo³⁾.

Q. Qui exequitur Christus munus Regium?

R. Christus exequitur munus Regium nos sibi subiungendo⁴⁾, nos gubernando⁵⁾, tuendoque⁶⁾, ut etiam hostes suos nostrosque coercendo ac debellando⁷⁾.

Q. In quo constitit Christi humiliatio?

R. Humiliatio Christi in eo constitit quod fuerit natus, et quidem humili conditione⁸⁾, factus sub lege⁹⁾, quodque vitae huius miseria¹⁰⁾, iram Dei¹¹⁾ mortemque crucis execrabilem subierit¹²⁾; quod sepultus fuerit¹³⁾, et sub potestate mortis aliquandiu commoratus¹⁴⁾.

Q. In quo consistit Christi exaltatio?

R. Exaltatio Christi consistit in resurrectione eius a mortuis tertio die¹⁵⁾, ascensu in coelum¹⁶⁾, sessione ad dextram Dei Patris¹⁷⁾, adventu eius ad mundum iudicandum die novissimo¹⁸⁾.

Q. Qua ratione participes efficimur redemptionis per Christum acquisitae?

R. Redemptionis per Christum acquisitae participes efficimur eiusdem nobis efficaci per Spiritum eius Sanctum¹⁹⁾, applicatione²⁰⁾.

Q. Quomodo nobis applicat Spiritus redemptionem per Christum acquisitam?

R. Spiritus nobis applicat redemptionem per Christum acquisitam fidem in nobis efficiendo²¹⁾, ac per eandem nos Christo in vocatione nostra efficaci uniendo²²⁾.

Q. Quid est vocatio efficax?

R. Vocatio efficax est Spiritus Dei opus²³⁾, quo nos peccati ac miseriae nostrae arguens²⁴⁾, mentes nostras cognitione Christi illuminans²⁵⁾, voluntates nostras renovans²⁶⁾, prorsus nobis persuadet, et vires sufficit, ut Iesum Christum amplectamur, gratuito nobis oblatum in Evangelio²⁷⁾.

Q. Quanam beneficia in hac vita consequuntur ii qui sunt vocati efficaciter?

R. Qui vocati sunt efficaciter, iustificationem²⁸⁾, adoptio-

1) Heb. 9, 14. 28. 2) Heb. 2, 17. 3) Heb. 7, 24. 25. 4) Act. 15, 14. 15. 16. 5) Isa. 33, 22. 6) Isa. 32, 1. 2. 7) 1 Cor. 15, 25. Psal. 110. per totum. 8) Luc. 2, 7. 9) Gal. 4, 4. 10) Heb. 12, 2. 3. Isa. 53, 2. 3. 11) Luc. 22, 44. Mat. 27, 46. 12) Phil. 2, 8. 13) 1 Cor. 15, 3. 14) Act. 2, 24. 25. 26. 27. 31. 15) 1 Cor. 15, 4. 16) Marc. 16, 19. 17) Eph. 1, 20. 18) Act. 1, 11. et 17, 31. 19) Tit. 3, 5. 6. 20) Iob. 1, 11. 12. 21) Eph. 1, 13. 14. Ioh. 6, 37. 39. Eph. 2, 8. 22) Eph. 3, 17. 1 Cor. 1, 9. 23) 2 Tim. 1, 9. 2 Thes. 2, 13. 14. 24) Act. 2, 37. 25) Act. 26, 18. 26) Ezech. 36, 26. 27. 27) Ioh. 6, 44. 45. Phil. 2, 13. 28) Rom. 8, 30.

nom¹⁾), et sanctificationem in hac vita consequuntur, una cum omnibus iis beneficiis quaecunque solent in hac vita comitari illas, aut ab iisdem promanare²⁾).

Q. Quid est iustificatio?

R. Iustificatio est actus gratiae Dei gratuitae, quo peccata nobis condonat omnia³⁾, nosque tanquam iustos in conspectu suo acceptat⁴⁾, propter solam Christi iustitiam nobis imputatam⁵⁾, per fidem tantum apprehensam⁶⁾).

Q. Quid est adoptio?

R. Adoptio est actus gratiae Dei gratuitae⁷⁾, quo in numerum recipimur ac ius obtemus ad omnia privilegia filiorum Dei⁸⁾.

Q. Quid est sanctificatio?

R. Sanctificatio est opus gratiae Dei gratuitae⁹⁾, quo in toto homine secundum imaginem Dei renovamur¹⁰⁾, et potentes efficitur, qui magis in dies magisque peccato quidem moriamur, iustitiae autem vivamus¹¹⁾).

Q. Quanam sunt illa beneficia quae iustificationem, adoptionem et sanctificationem in hac vita vel comitantur, vel ab eis promanant?

R. Quae iustificationem, adoptionem et sanctificationem in hac vita vel comitantur vel ab eis promanant beneficia, sunt certitudo amoris Dei, pax conscientiae¹²⁾, gaudium in Spiritu Sancto¹³⁾, gratiae sacramentum¹⁴⁾, in eaque ad finem usque perseverantia¹⁵⁾).

Q. Quanam a Christo beneficia in morte percipiunt fideles?

R. Animae fidelium in morte fiunt perfecte sanctae¹⁶⁾, ac protinus in gloriam transferuntur¹⁷⁾; corpora vero usque Christo unita¹⁸⁾ in sepulchris¹⁹⁾ ad resurrectionem²⁰⁾ usque quiescunt.

Q. Quae tandem beneficia a Christo percipiunt fideles in resurrectione?

R. In resurrectione fideles suscitati in gloria²¹⁾, palam agnoscentur et absolventur in die iudicii²²⁾, sientque perfecte beati plena Dei²³⁾ in omne aeternum²⁴⁾ fruitione.

Q. Quid autem officii ac observantiae ab homine exoptat Deus?

R. Officium quod ab homine Deus exoptat, est obedientia voluntati eius revelatae exhibenda²⁵⁾).

1) Eph. 1, 5. 2) 1 Cor. 1, 26. 30. 3) Rom. 3, 24. 25. et 4, 6. 7. 8. 4) 2 Cor. 5, 19. 21. 5) Rom. 5, 17. 18. 19. 6) Gal. 2, 16. Phil. 3, 9. 7) 1 Ioh. 3, 1. 8) Ioh. 1, 12. Rom. 8, 17. 9) 2 Thes. 2, 13. 10) Eph. 4, 23. 24. 11) Rom. 6, 4. 6. 12) Rom. 5, 1. 2. 5. 13) Rom. 14, 17. 14) Prov. 4, 18. 15) 1 Ioh. 5, 13. 1 Pet. 1, 5. 16) Heb. 12, 23. 17) 2 Cor. 5, 1. 6. 8. Phil. 1, 2. Luc. 23, 43. 18) 1 Thes. 4, 14. 19) Isa. 57, 2. 20) Iob, 19, 26. 27. 21) 1 Cor. 15, 43. 22) Matt. 25, 23. Matt. 10, 32. 23) 1 Ioh. 3, 2. 1 Cor. 13, 12. 24) 1 Thes. 4, 17. 18. 25) Mich. 6, 8. 1 Sam. 15, 22.

Q. Quid homini primum revelavit Deus, quod foret ipsi obedientiae regula?

R. Obedientiae regula, quam Deus homini primum revelavit, erat Lex moralis ¹⁾.

Q. Ubinam summatim comprehenditur lex moralis?

R. Lex moralis summatim comprehenditur in Decalogo ²⁾.

Q. Dic quatenam sit Decalogi summa?

R. Summa Decalogi est ut Dominum nostram toto corde, tota anima, tota mente, totisque viribus nostris diligamus; proximum vero nostrum sicut nosmetipsos ³⁾.

Q. Quatenam est Decalogi praefatio?

*R. Decalogi praefatio hisce verbis continetur [*Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi e terra Aegypti, e domo servitutis ⁴⁾*].*

Q. Quid nos edocet Decalogi praefatio?

R. Decalogi praefatio nos docet, quod quoniam Deus est Dominus, nosterque Deus ac redemptor, ea propter praecepta eius omnia tenemur observare ⁵⁾.

Q. Quodnam est mandatum primum?

*R. Mandatum primum est [*Non habebis Deos alios coram me ⁶⁾*].*

Q. In mandato primo quid exigitur?

R. In mandato primo exigitur ut Iehovam esse unicum illum verumque Deum, Deumque nostrum cognoscamus simul et agnoscamus ⁷⁾, atque ut talem colamus, ac glorificemus ⁸⁾.

Q. Quid est quod prohibetur mandato primo?

R. In primo mandato prohibetur veri Dei abnegatio ⁹⁾, neglectusque ipsum tanquam Deum ¹⁰⁾, Deumque nostrum ¹¹⁾ colendi ac glorificandi; prout etiam cultum ac gloriam illi soli debita alii cuivis tribuere aut exhibere ¹²⁾.

Q. Quid imprimis docemur verbis istis mandati primi [Coram me]?

R. Verba isthaec [Coram me] in mandato primo nos docent, Deum qui omnia intuetur, peccatum alium habendi Deum cum imprimis advertere, tum vero eodem offendi plurimum ¹³⁾.

Q. Quodnam est praeceptum secundum?

*R. Secundum praeceptum est [*Non facies tibi imaginem, quamvis sculptilem, aut similitudinem rei cuiusvis quae est in coelis superne, aut inferius in terris, aut in aquis infra terram; non incurvabis te iis, nec eis servies: siquidem ego Dominus**

1) Rom. 2, 14. 15. et 10, 5. 2) Deut. 10, 4. 3) Matt. 22, 37. 38. 39. 40. 4) Exod. 20, 2. 5) Luc. 1, 74. 75. 1 Pet. 1, 15. 16. 17. 18. 19. 6) Exod. 20, 3. 7) 1 Chron. 28, 9. Deut. 26, 17. 8) Matt. 4, 10. Psal. 29, 2. 9) Psal. 14, 1. 10) Rom. 1, 21. 11) Psal. 81, 10. 11. 12) Rom. 1, 25. 26. 13) Ezech. 8, 5, ad finem.

Deus tuus Deus sum Zelotypus, visitans iniquitates patrum in filios ad tertiam usque quartamque progeniem osorum mei, exhibens vero misericordiam ad millenas usque diligentium me, ac mandata mea observantium¹⁾].

Q. Quid exigitur in secundo praecepto?

R. Praeceptum secundum exigit, ut cultus omnes ac instituta religionis quaecunque Deus in verbo suo constituit, excipiamus, observemus, pura denique ac integra custodiamus²⁾.

Q. Quid est quod in secundo praecepto prohibetur?

R. Secundum praeceptum interdicit nobis cultu Dei per simulacra³⁾, aut alia ratione quavisunque quam in verbo suo Deus non praescripsit⁴⁾.

Q. Quanam sunt rationes praecepto secundo annexae?

R. Rationes secundo praecepto annexae sunt, supremum Dei in nos dominium⁵⁾, illius ius in nobis peculiare⁶⁾, zelusque quo summi ipsius cultum prosequitur⁷⁾.

Q. Age quodnam est tertium mandatum?

R. Mandatum tertium sic habetur [Nomen Domini Dei tui inaniter non usurpabis; non enim cum pro insonte habebit Dominus qui nomen eius inaniter adhibuerit⁸⁾].

Q. Quid exigitur in mandato tertio?

R. Mandatum tertium exigit ut Dei nomina⁹⁾, titulos¹⁰⁾, attributa¹¹⁾, instituta¹²⁾, verba¹³⁾, operaque¹⁴⁾ sancte summaque cum reverentia adhibeamus.

Q. Quid prohibetur mandato tertio?

R. Mandatum tertium prohibet rei cuiusvis qua Deus se notum facit, profanationem omnem ac abusum¹⁵⁾.

Q. Quanam est ratio subnexa mandato tertio?

R. Ratio mandato tertio subnexa est, quod licet huius praecepti violatores ab hominibus quandoque nil supplicii ferant, nihilominus tamen Dominus Deus noster eos iustum eius iudicium neutiquam patietur subterfugere¹⁶⁾.

Q. Recita mandatum quartum?

R. Mandati quarti verba sunt isthaec [Memineris diem Sabbati ut sanctifices eum; sex diebus operaberis et facies omne opus tuum, septimus vero dies sabbatum est Domini Dei tui, opus in eo nullum facies tu, neque filius tuus, neque filia tua, nec servus tuus, nec ancilla tua, neque iumentum tuum, nec hospes tuus quicumque intra portas tuas commoratur: Nam sex diebus

1) Exod. 20, 4. 5. 6. 2) Dent. 32, 46. Matt. 28, 20. Act. 2, 42.
3) Dent. 4, 15. 16. 17. 18. 19. Exod. 32, 5. et 8. 4) Dent. 12, 31.
32. 5) Psal. 95, 2. 3. 6. 6) Psal. 45, 11. 7) Exod. 34, 13. 14.
8) Exod. 20, 7. 9) Matt. 6, 9. Dent. 28, 58. 10) Psal. 68, 4.
11) Apoc. 15, 3. 4. 12) Mal. 1, 11. 14. 13) Psal. 138, 1. 2. 14) Iob.
36, 24. 15) Mal. 1, 6. 7. 12. et 2, 2. et 3, 14. 16) 1 Sam. 2, 12.
17. 22. 28. 1 Sam. 3, 13. Dent. 28, 58. 59.

perfecit Dominus coelum terramque, mare, et quicquid in illis continetur, septimo vero die requievit, quamobrem benedixit Dominus diei sabbati, eumque sanctificavit¹⁾].

Q. Quid a nobis exigit mandatum quartum?

R. Quartum mandatum a nobis exigit, ut statum illud tempus quod in verbo suo designavit Deus, sanctum ei observemus; integrum nempe Diem e septenis unum in sanctum illi sabbatum celebrandum²⁾.

Q. E septenis autem quem diem sabbato hebdomadario designavit Deus?

R. Deus hebdomadario sabbato designavit septimum diem hebdomadae ab initio mundi usque ad Christi resurrectionem, exinde vero ad finem usque mundi duraturum, diem septimanae primum, quod est sabbatum Christianum³⁾.

Q. Qui autem est sabbatum sanctificandum?

R. Sabbatum est sanctificandum diem illum integrum sancte quiescendo⁴⁾, etiam a negotiis et recreationibus mundanis, aliis quidem diebus haud illicitis⁵⁾; totumque illud temporis (praeterquam quod operibus necessitatis ac misericordiae insumendum fuerit⁶⁾) cultus Divini exercitiis publicis privatisque impendendo⁷⁾.

Q. Quid prohibetur in mandato quarto?

R. Mandatum quartum prohibet officiorum quae inibi requiruntur, cum omissionem tum praestationem negligentem⁸⁾; prout etiam eius diei profanationem qualemcunque, sive illum otiose consumendo⁹⁾, sive quod in se peccatum est faciendo¹⁰⁾, seu denique circa mandata negotia vel recreationes cogitationibus, dictis, factisque non necessariis¹¹⁾.

Q. Quanam sunt quarto praecepto rationes annexae?

R. Rationes quarto praecepto annexae sunt istiusmodi; quoniam e septimana qualibet sex dies concesserit nobis Deus nostris ipsorum negotiis insumendos¹²⁾; quoniam in septimo ius sibi vendicat peculiare; quoniam Deus exemplo suo nobis praecipit, ac diei sabbati benedixit¹³⁾.

Q. Quodnam est praeceptum quintum?

R. Quintum praeceptum est huiusmodi [*Honora patrem tuum ac matrem tuam ut prolongentur dies tui in terra illa quam tibi largitur Dominus Deus tuus*¹⁴⁾].

Q. Quid est quod iubemur mandato quinto?

R. Mandatum quintum nos iubet honorem conservare, ac

1) Exod. 20, 8. 9. 10. 11. 2) Dent. 5, 12. 13. 14. 3) Gen. 2, 2. 3. 1 Cor. 16, 1. 2. Act. 20, 7. 4) Exod. 20, 8. 10. 5) Exod. 16, 25. 26. 27. 28. Neh. 13, 15. 16. 17. 18. 19. 21. 22. 6) Matt. 12, 1. ad 13. 7) Luc. 4, 16. Act. 20, 7. Psal. 92. tit. Isa. 66, 23. 8) Ezech. 22, 26. Amos 8, 5. Mal. 1, 13. 9) Act. 20, 7. 9. 10) Ezech. 23, 38. 11) Ier. 17, 24. 25. 26. Isa. 58, 13. 12) Exod. 20, 9. 13) Exod. 20, 11. 14) Exod. 20, 12.

officia persolvere unicuique pro ratione ordinis ac relationis in quibus fuerit exhibenda, seu superior nobis fiet¹⁾, sive inferior²⁾, sive denique aequalis³⁾).

Q. Quid est quod mandatum quintum vetat?

R. Quintum mandatum vetat honorem, officiumque singulis debitum pro ratione ordinis ac relatione in quibus fuerint, aut negligere, aut adversus ea quicquam machinari⁴⁾).

Q. Quae ratio subnectitur quinto praecepto?

R. Ratio quinto praecepto subnexa est promissio longaevitae, prosperitatisque (quatenus nempe Dei gloriae ipsorumque conducant utilitati) omnibus facta hoc praeceptum observantibus⁵⁾).

Q. Cedo mandatum sextum?

R. Mandatum sextum hisce verbis comprehenditur [*Non occides*⁶⁾].

Q. Quid a nobis exigit mandatum sextum?

R. Exigit a nobis mandatum sextum, ut vitam cum nostram¹⁾ tum aliorum⁸⁾ honestis quibuscumque rationibus tueamur.

Q. Quid vero prohibet sextum mandatum?

R. Sextum mandatum prohibet vitam nobismetipsis, aut iniuste proximo vitam adimere, aut quidvis quod eo tendat agere⁹⁾).

Q. Quodnam est mandatum septimum?

R. Mandatum septimum haec verba complectuntur [*Non moechaberis*]¹⁰⁾).

Q. Quid exigitur mandato septimo?

R. Mandatum septimum exigit ut tam nostram quam proximorum castitatem animo, sermone, gestaque conservemus¹¹⁾).

Q. Quid prohibetur mandato septimo?

R. Septimum mandatum prohibet cogitationes, sermones, actionesque omnes impudicas¹²⁾).

Q. Quodnam est praeceptum octavum?

R. Praeceptum octavum hoc est [*Non furaberis*]¹³⁾].

Q. Mandatum octavum quid a nobis exigit?

R. Octavum mandatum a nobis exigit, facultates ac rem externam nostri aliorumque ut procuremus ac promoveamus¹⁴⁾).

Q. In octavo praecepto quid prohibetur?

R. Octavum mandatum prohibet quicquid nostris aut proximorum nostrorum opibus rebusque externis iniusto aut esse aut esse possit impedimento¹⁵⁾).

1) Eph. 5, 21. 2) 1 Pet. 2, 17. 3) Rom. 12, 10. 4) Matt. 15, 4. 5. 6. Ezech. 34, 2. 3. 4. Rom. 13, 8. 5) Deut. 5, 16. Eph. 6, 2. 3. 6) Exod. 20, 13. 7) Eph. 5, 28. 29. 8) 1 Reg. 18, 4. 9) Act. 16, 28. Gen. 9, 6. 10) Exod. 20, 14. 11) 1 Cor. 7, 2. 3. 5. 34. 36. Col. 4, 6. 1 Pet. 3, 2. 12) Matt. 15, 19. et 5, 28. Eph. 5, 3. 4. 13) Exod. 20, 15. 14) Gen. 30, 30. 1 Tim. 5, 8. Lev. 25, 35. Deut. 22, 1. 2. 3. 4. 5. Exod. 23, 4. 5. Gen. 47, 14. 20. 15) Prov. 21, 17. et 23, 20. 21. et 28, 19. Eph. 4, 28.

Q. Quodnam est praeceptum nonum?

R. Praeceptum nonum sic se habet [Non eris adversus proximum tuum testis mendax¹⁾].

Q. Quid a nobis exigit praeceptum nonum?

R. Praeceptum nonum id a nobis exigit ut veritatem inter homines mutuo²⁾, utque bonum nomen et existimationem cum nostri tum proximorum nostrorum conservemus ac promoveamus³⁾, cum primis vero in ferendo testimonio⁴⁾.

Q. Quid prohibetur nono praecepto?

R. Nonum praeceptum prohibet quicquid est aut veritati inimicum; aut existimationi nostri vel proximorum nostrorum iniurium⁵⁾.

Q. Quale est mandatum decimum?

R. Mandatum decimum haec verba exhibent [Non concupisces proximi tui domum, non concupisces proximi tui uxorem, non servum, non ancillam, non boven, non asinum, neque aliud denique quicquam quod est proximi tui⁶⁾].

Q. In decimo praecepto quid exigitur?

R. Praeceptum decimum exigit ut sorti nostrae plane acquiescamus⁷⁾, utque in proximum et quaecunque sunt eius debite, benevoleque afficiamur⁸⁾.

Q. Quae prohibentur decimo mandato?

R. Mandatum decimum prohibet rerum nostrarum displicentiam⁹⁾, invidiam ac dolorem de bono proximi¹⁰⁾, una cum animi nostri motibus et affectionibus circa ea quae proximi sunt inordinatis quibuscumque¹¹⁾.

Q. Quisquamne potis est mandata Dei perfecte observare?

R. Post lapsum nemo extat humana tantum natura constans, qui mandata Dei perfecte in hac vita implere potest¹²⁾, quominus ea quotidie tum cogitatione, tum dictis factisque violet¹³⁾.

Q. An vero sunt omnes violationes legis ex aequo graves?

R. Peccata sunt nonnulla aliis cum sua natura, tum propter varias eorum aggravationes in conspectu Dei graviora¹⁴⁾.

Q. Quid est quod meretur peccatum unumquodque?

R. Unumquodque peccatum iram Dei meretur ac maledictionem cum in vita praesenti, tum in futura¹⁵⁾.

1) Exod. 20, 16. 2) Zech. 8, 16. 3) 3 Ioh. v. 12. 4) Prov. 14, 5. 25. 5) 1 Sam. 11, 28. Lev. 19, 16. Psal. 15, 3. 6) Exod. 20, 17. 7) Heb. 13, 5. 1 Tim. 6, 6. 8) Iob. 31, 29. Rom. 12, 15. 1 Tim. 1, 5. 1 Cor. 13, 4. 5. 6. 7. 9) 1 Reg. 21, 4. Esth. 5, 13. 1 Cor. 10, 10. 10) Gal. 5, 26. Iac. 3, 14. 16. 11) Rom. 7, 7. 8. et 13, 9. Deut. 5, 21. 12) Eccles. 7, 20. 1 Ioh. 1, 8. 10. Gal. 5, 17. 13) Gen. 6, 5. et 8, 21. Rom. 3, 9. ad 21. Iac. 3, 2. ad 13. 14) Ezech. 8, 6. 13. 15. 1 Ioh. 5, 6. Psal. 78, 17. 32. 56. 15) Eph. 5, 6. Gal. 3, 10. Lam. 3, 39. Matt. 25, 41.

Q. Quid autem exigit a nobis Deus, quo nobis ob peccatum debitas iram eius ac maledictionem effugiamus?

R. Quo iram Dei ac maledictionem ob peccatum nobis debitas effugiamus, exigit a nobis Deus fidem in Iesum Christum, resipiscentiam ad vitam¹⁾, una cum usu mediorum omnium exter-
norum diligenti, quibus Christus nobis communicat redemptionis
suae beneficia²⁾.

Q. Quid est fides in Iesum Christum?

R. Fides in Iesum Christum est gratia salvifica³⁾, qua
hilum recipimus, eoque solo nitimur, ut salvi simus, prout ille
nobis offertur in evangelio⁴⁾.

Q. Quid est resipiscentia ad vitam?

R. Resipiscentia ad vitam est gratia salvifica⁵⁾, qua pec-
cator e vero peccati sui sensu⁶⁾, ac apprehensione divinae in
Christo misericordiae⁷⁾, dolens ac perosus peccatum suum ab
illo ad Deum convertitur⁸⁾, cum aevae obedientiae pleno pro-
posito et conatu⁹⁾.

*Q. Quenam sunt externa media quibus Christus nobis
communicat redemptionis suae beneficia?*

R. Media externa ac ordinaria quibus Christus nobis com-
municat redemptionis suae beneficia sunt eius instituta, verbum
praesertim, sacramenta, et oratio; quae quidem omnia electis
redduntur efficacia ad salutem¹⁰⁾.

Q. Qua ratione fit verbum efficax ad salutem?

R. Spiritus Dei lectionem verbi praecipue vero praedicatio-
nem eius reddit medium efficax convincendi, convertendique pec-
catores, eosdemque in sanctimonia et consolatione aedificandi per
fidem ac salutem¹¹⁾.

*Q. Quomodo legi debet ac audiri verbum, ut evadat efficax
ad salutem?*

R. Quo verbum evadat efficax ad salutem, debemus ei cum
praeparatione¹²⁾, ac oratione¹³⁾ diligenter attendere¹⁴⁾; idem-
que fide excipere ac amore¹⁵⁾, in animis nostris recondere¹⁶⁾,
ac in vita nostra exprimere¹⁷⁾.

Q. Qui evadunt sacramenta media efficacia ad salutem?

R. Sacramenta evadunt efficacia ad salutem media, non
ulla in ipsis vi, nec in eo qui illa administrat; verum Christi

1) Act. 20, 21. 2) Prov. 2, 1. ad 6. et 8, 33. ad finem. Isa. 55, 3.
3) Heb. 10, 39. 4) Ioh. 1, 12. Isa. 26, 3. 4. Phil. 3, 9. Gal. 2, 16.
5) Act. 11, 18. 6) Act. 2, 37. 38. 7) Ioh. 2, 12. Ier. 3, 22. 8) Ier.
31, 18. 19. Ezech. 36, 31. 9) 2 Cor. 7, 11. Isa. 1, 16. 17. 10) Matt.
28, 19. 20. Act. 2, 42. 46. 47. 11) Neh. 8, 8. 1 Cor. 14, 24. 25. Act.
26, 18. Psal. 19, 8. Act. 20, 32. Rom. 15, 4. 2 Tim. 3, 15. 16. 17.
Rom. 10, 13. 14. 15. 16. 17. et 1, 16. 12) 1 Pet. 2, 1. 2. 13) Psal.
119, 18. 14) Prov. 8, 34. 15) Heb. 4, 2. 2 Thess. 2, 10. 16) Psal.
119, 11. 17) Luc. 8, 15. Iac. 1, 25.

solummodo benedictione¹⁾, ac Spiritus eius in iis qui illa per fidem recipiunt operatione²⁾).

Q. Quid est sacramentum.

R. Sacramentum est ordinatio sacra a Christo instituta, in qua fidelibus per signa in sensus incurrentia Christus novique foederis beneficia repraesentantur, obsignantur, et applicantur³⁾).

Q. Quenam sunt sacramenta Novi Testamenti?

R. Sacramenta Novi Testamenti sunt Baptismus⁴⁾ ac coena Dei⁵⁾).

Q. Quid est baptismus.

R. Baptismus est Sacramentum, in quo ablutio per aquam in nomine Patris ac Filii ac Spiritus Sancti⁶⁾, nostram in Christum insitionem, ut et beneficiorum foederis gratiae participationem, pactumque nostrum, nos nempe Domini futuros esse totos, significat obsignatque⁷⁾).

Q. Quibus est Baptismus administrandus?

R. Baptismus non est administrandus quibusdam extra Ecclesiam visibilem constitutis, donec se in Christum credere, eique obediens fore professi fuerint⁸⁾; verum infantes eorum qui membra sunt Ecclesiae visibiles sunt baptizandi⁹⁾).

Q. Quid est coena Domini?

R. Coena Domini est Sacramentum, in quo pane ac vino secundum Christi institutum datis acceptisque, mors eius ostenditur; quae qui digne participant, corporis eius et sanguinis (non quidem corporeo et carnali modo, verum) per fidem suant particeps, omniumque ipsius beneficiorum ad nutritionem suam spiritua-lem suumque in gratia incrementum¹⁰⁾).

Q. Ut digne quis participet coenam Dominicam quid requiritur?

R. Qui coenam Dominicam digne cupiunt participare, requiritur, ut semet examinent, cum de cognitione sua, qua corpus Domini valeant discernere¹¹⁾, tum de fide sua, qua vescantur ipso¹²⁾, tum etiam de resipiscentia sua¹³⁾, amore¹⁴⁾ ac obedientia nova¹⁵⁾; ne forte indigni si advenerint, iudicium edant bibantque sibi metipsis¹⁶⁾).

Q. Quid est precatio?

R. Precatio est qua petitiones nostras¹⁷⁾ pro rebus divinae voluntati congruis offerimus Deo¹⁸⁾, in nomine Christi¹⁹⁾,

1) 1 Pet. 3, 21. Matt. 3, 11. 1 Cor. 3, 6. 7. 2) 1 Cor. 12, 13. 3) Gen. 17, 7. 10. Exod. 12. cap. 1 Cor. 11, 23. 26. 4) Matt. 28, 19. 5) Matt. 26, 26. 27. 28. 6) Matt. 28, 19. 7) Rom. 6, 4. Gal. 3, 27. 8) Act. 8, 36. 37. et 2, 38. 9) Act. 2, 38. 39. Gen. 17, 10; cum Col. 2, 11. 12. 1 Cor. 7, 14. 10) 1 Cor. 11, 23. 24. 25. 26. et 10, 16. 11) 1 Cor. 11, 28. 29. 12) 2 Cor. 13, 5. 13) 1 Cor. 11, 31. 14) 1 Cor. 10, 16. 17. 15) 1 Cor. 5, 7. 8. 16) 1 Cor. 11, 28. 29. 17) Psal. 62, 8. 18) 1 Ioh. 5, 14. 19) Ioh. 16, 23.

na cum peccatorum nostrorum confessione¹⁾, et grata beneficiorum eius agnitione²⁾.

Q. Quam nobis regulam praescripsit Deus precibus nostris dirigendis?

R. Totum Dei verbum utile est nobis in oratione dirigendis³⁾; specialis vero directionis norma est illa orationis formula quam discipulos suos edocuit Christus, *oratio dominica* quae vulgo dicitur⁴⁾.

Q. Quid nos docet orationis Dominicae praefatio?

R. Orationis Dominicae praefatio nempe [*Pater noster, qui es in coelis*⁵⁾] nos docet accedere ad Deum cum omni sancta reverentia ac confidentia, tanquam filios ad patrem, qui et potis est ut paratus nobis opitulari⁶⁾; prout etiam cum aliis atque pro aliis orare⁷⁾.

Q. Quid est quod oramus in petitione prima?

R. In petitione prima, scil. [*Sanctificetur nomen tuum*⁸⁾] oramus et efficere velint Deum, ut eum nos alique, in eis, quibuscunque se notum nobis facit, glorificare valeamus⁹⁾; atque ad suam ipsius gloriam omnia dirigere velit ac disponere¹⁰⁾.

Q. Quid petimus in secunda petitione?

R. In petitione secunda, quae huiusmodi est [*adveniat regnum tuum*¹¹⁾] petimus ut destruat regnum Satanae¹²⁾, gratiae vero regnum ut promoveatur¹³⁾, ut nos alique in eo simus eam constituti tum conservati ne excidamus¹⁴⁾; utque regnum gloriae velit Deus adpropere¹⁵⁾.

Q. In petitione tertia quid precamur?

R. In petitione tertia, scil. hisce verbis [*fiat voluntas tua in terris sicut in coelis*¹⁶⁾] precamur efficere velit Deus, ut nos per gratiam voluntatem eius tum cognoscere, tum ei in omnibus obtemperare¹⁷⁾, et nos submittere, id quod in coelis faciunt Angeli, et valeamus et velimus¹⁸⁾.

Q. Quid oramus in petitione quarta?

R. In quarta petitione quae sic habetur [*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*¹⁹⁾] oramus ut e donatione Dei gratuita, honorum quae huius vitae sunt portionem idoneam obtineamus, eiusque una cum iis benedictione perfruamur²⁰⁾.

1) Psal. 32, 5. 6. Dan. 9, 4. 2) Phil. 4, 6. 3) 1 Ioh. 5, 14. 4) Mat. 6, 9. 10. 11. 12. 13. cum Luc. 11, 2. 3. 4. 5) Mat. 6, 9. 6) Rom. 8, 15. Luc. 11, 13. 7) Act. 12, 5. 1 Tim. 2, 1. 2. 8) Mat. 6, 9. 9) Psal. 67, 2. 3. 10) Psal. 83, per totum. 11) Mat. 6, 10. 12) Psal. 68, 1. 18. 13) Apoc. 12, 10. 11. 14) 2 Thes. 3, 1. Rom. 10, 1. Ioh. 17, 9. 20. 15) Apoc. 22, 20. 16) Mat. 6, 10. 17) Psal. 67, per totum. Psal. 119, 36. Mat. 26, 39. 2 Sam. 15, 25. Iob. 1, 21. 18) Psal. 103, 20. 21. 19) Mat. 6, 11. 20) Prov. 30, 8. 9. Gen. 28, 20. 1 Tim. 4, 4. 5.

Q. Quid precamur in petitione quinta?

R. In petitione quinta, cuius verba sunt [*Ac remitte nobis debita nostra, sic ut remittimus debitoribus nostris*¹⁾] precamur ut Deus peccata nostra omnia gratis velit propter Christum condonare²⁾, quod quidem ut petamus eo magis animus nobis fit, quod aliis animitus condonare gratia ipsius auxiliante valeamus³⁾.

Q. Quid petimus in sexta petitione?

R. In petitione sexta, quam haec verba complectuntur [*Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo*⁴⁾] oramus ut velit nos Deus aut immunes a tentatione ad peccatum conservare⁵⁾, aut certe tentatos suffulcire ac liberare⁶⁾.

Q. Quid nos docet orationis Dominicae conclusio?

R. Orationis Dominicae conclusio [*Quia tuum est regnum, potentia et gloria, in secula, Amen*⁷⁾] Nos docet animos ac confidentiam nobis in orando a solo Deo derivare⁸⁾, eumque in precibus nostris laudare, regnum ei, potentiam, ac gloriam tribuendo⁹⁾; quoque desiderium nostrum testemur, et exauditionis confidentiam, dicimus, Amen¹⁰⁾.

1) Mat. 6, 12. 2) Psal. 51, 1. 2. 7. 9. Dan. 9, 17. 18. 19.
3) Luc. 11, 4. Mat. 18, 35. 4) Mat. 6, 13. 5) Mat. 26, 41.
6) 2 Cor. 12, 7. 8. 7) Mat. 6, 13. 8) Dan. 9, 4. 7. 8. 9. 16. 17.
18. 19. 9) 1 Chron. 29, 10. 11. 12. 13. 10) 1 Cor. 14, 16. Apoc.
22, 20. 21.